



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

26 Vtrum omnia que sancti Doctores dixerunt, sint a spiritu sancto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

**CONTRA.** Decret. dicit quod tenetur, nec acquirit dominium.

**RESPON.** Dicendum, quod circa hoc est contrarietas iuris civilis & canonici, quia secundum ius civile talis prescriptio tenet, secundum ius canonicum talis prescriptio non potest. Et ratio huius contrarietatis est, quia alius est finis quem intendit civilis legislator, spacem servare, & stare inter civis, quae impeditur si prescriptio non curreret: quicumque enim vellet, posset venire & dicere, Istud fuit meum quocumque tempore. Finis autem iuris canonici tendit ad quietem ecclesiae, & salutem animarum, nullus autem in peccato salvari potest, nec penitere de damno, vel de alieno, nisi recompenset.

Et ideo dicendum est, quod si quis praescribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiam si sciat alienum fuisse post prescriptionem: quia lex potest aliquem pro peccato & negligentia punire in re sua, & illam alteri dare & concedere: sed qui mala fide praescribit, tenetur emendare, & satisfacere reddendo damnum quod intulit.

**AD PRIMUM** ergo dicendum, quod verum est quod omnia sunt principium ad gubernandum, non ad retinendum sibi, vel ad dandum aliis: & si quae leges tales sunt, tyrannicae sunt, & non absolvent a conscientia, sed a foro iudiciali, & violentia.

ARTICVLVS XXV.

**Utrum ille qui rem alienam consumpsit, teneatur ad restitutionem.**

**TERTIO** quaerebatur, utrum ille qui rem alienam consumpsit, teneatur ad restitutionem: & videtur quod non: quia ille, cuius res fuerat, non habet actionem in consumptorem, intellige si ius habet casum in prescriptione.

**CONTRA.** Ille mala fide possedit alienum quod consumpsit.

**RESPON.** Dicendum, quod tenetur, cuius ratio est, quia quilibet tenetur ad faciendum iustitiam alteri. Constat autem iustitia in quadam aequalitate: unde nisi reintegretur aequalitas, non potest aliquis esse iustus: inaequalitas autem fuit quod consumpsit rem non suam, & ideo oportet quod reddat.

**AD PRIMUM** ergo dicendum, quod licet non habeat actionem in eum qui consumpsit secundum ius civile, habet tamen secundum ius diuinum, cuius finis est salus animarum, & ideo repugnat.

QV AESTIO XVII.

**DEINDE** quaesita sunt de officiis quatuor.

- ¶ Primo, De officio expositorum sacrae scripturae.
- ¶ Secundo, De officio praedicatorum.
- ¶ Tertio, De officio confessorum.
- ¶ Quarto, De officio vicariorum.

ARTICVLVS XXVI.

**Utrum omnia quae doctores sancti dixerunt, sint a Spiritu sancto.**

**AD PRIMUM** quaesitum est, utrum omnia quae doctores sancti dixerunt, sint a Spiritu sancto, & videtur quod non, quia in suis dictis sunt aliqua falsa, nam in suis expositionibus quandoque dissonant: non potest autem esse verum quod dissimile, vel dissonum est, quia utraq; pars contradictionis non potest esse vera.

**CONTRA.** Ad eundem pertinet facere aliquid propter finem, & perducere ad illum finem: sed finis

scripturae, quae est a Spiritu sancto, est eruditio hominum: haec autem eruditio hominum ex scripturis non potest esse, nisi per expositiones sanctorum, ergo expositiones sanctorum sunt a Spiritu sancto.

**RESPON.** Dicendum, quod ab eodem Spiritu scripturae sunt expositae & editae. Vnde dicitur 1. ad Cor. 2. Animalis homo non percipit ea quae Dei sunt, spiritualis autem &c. & percipit quantum ad ea quae sunt fidei, quia fides donum Dei est: & ideo interpretatio sermonum numeratur inter alia dona Spiritus sancti. 1. ad Cor. 12.

**AD PRIMUM** ergo dicendum, quod gratiae gratis datae non sunt habitus, sed sunt quidam motus a Spiritu sancto, alias si essent habitus, propheta quando vellet per donum prophetiae reuelationem haberet, quod falsum est: & ideo de aliquibus occultis reuelandis aliquando tangitur mens a Spiritu sancto, & aliquando non, sed aliqua eis occultantur, unde dixit Heliseus 4. Reg. 3. Et Dominus celauit a me: Aliquando etiam aliqua dicunt a seipsis, sicut patet de Natham, qui consuluit Dauid quod aedificaret templum, postea autem a Domino repraesentatus & quasi retractus prohibuit hoc ipsi Dauid ex parte Dei. Hoc tamen tenendum est, quod quicquid in sacra scriptura continetur, verum est, alias qui contra hoc sentiret, esset hereticus. Expositores autem in aliis, quae non sunt fidei, multa ex suo sensu dixerunt, & ideo in his poterat errare, tamen dicta expositorum necessitatem non inducunt, quod necesse sit eis credere, sed solum scriptura canonica, quae in veteri & in nouo testamento est.

QV AESTIO XVIII.

ARTICVLVS XXVII.

**Utrum aliquis possit predicare propria autoritate.**

**DEINDE** quaesitum est de praedicatoribus.

¶ Et circa hoc quaesita sunt duo.

¶ Primo, Utrum aliquis possit predicare propria autoritate, ita ut liceat predicare sine licentia praelati. Et videtur quod sic, quia predicare est bonum alii facere: sed debemus bonum operari ad omnes ad Gal. 6. ergo &c.

¶ 2. Praet. Dicitur Ecc. 17. Vnicuique mandauit Deus de proximo suo, ergo &c.

**CONTRA.** Ad Ro. 10. Quomodo predicabunt, nisi mittantur? ergo &c.

**RESPON.** Dicendum, quod nullus quantumcumque scientiae magne, vel quantumcumque sanctitatis, nisi missus a Deo, vel a praelato predicare potest, quia nullum agens natum est agere nisi supra debitam materiam: praedicationis autem & exhortatio, & doctrina si sit publica respiciens totam ecclesiam, & cura publica ecclesiae, commissa est praelatis: & ideo nullus debet aliquid exercere quod requirat autoritatem publicam, nisi praelati.

**AD PRIMUM** ergo dicendum, quod cuiuslibet licet facere bonum sibi proportionatum, non autem quodecumque bonum.

**AD II.** Dicendum, quod mandauit Deus monere proximum priuata monitione, & familiari.

ARTICVLVS XXVIII.

**Utrum aliquis prohibitus a principe seculari, debeat dimittere praedicationem.**

**SECUNDO,** utrum aliquis prohibitus a principe seculari, debeat dimittere praedicationem. Et videtur

21. q. 63. art. 2. o. & q. 79. art. 3. ad 2.

4. dist. 19. q. 2. art. 5. q. 2. o.

4. dist. 19. dist. 2. art. 3. q. 2. ad 2.